



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XII. Quod magna diligentia se debeat Communicaturus Christo  
præparare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus: concede nobis tamen digne flere mela, quæ gessimus; & in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito tibi ferventius de cætero de fervire.

## CAPUT XII.

*Quod magna diligentia se debeat Communicaturus Christo præparare.*

## VOX DILECTI.

**I.** Ego sum puritatis amator, dador sanctitatis.

Ego cor purum quæro, et ibi locus requietionis meæ.

Para mihi cœnaculum grande futurum, et faciam apud te Pascha cum discipulis meis.

Si vis, ut veniam ad te: et apud te maneam: expurga vetus fermentum, et munda cordis tui habitaculum.

Exclude totum seculum, & omnem vitiorum tumultum: sede tamquam

quam passer solitarius in tecto, & cogita excessus tuos in amaritudine animæ tuæ.

Omnis namque amans suo dilecto amatori optimum, & pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum.

2. Scito tamen, te non posse satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiamsi per integrum annum te præparares, & nihil aliud in mente haberes.

Sed ex sola pietate & gratia mea permitteris ad mensam meam accedere: ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis ejus, nisi se humiliando & ei regratiando.

Fac, quod in te est, & diligenter facito: non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, reverentia, & affectu accipe Corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire.

Ego sum, qui vocavi, ego iussu fieri; ego supplebo, quod tibi deficit: veni, & suscipe me.

3. Cum gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, sed quia tui misertus sum.

Si non habes, sed magis ariditate sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa: nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere.

Tu mei indiges, non ego tui indigeo.

Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio.

Tu venis, ut ex me sanctificeris & mihi uniaris, ut novam gratiam recipias, & de novo ad emendationem accendaris.

Noli negligere hanc gratiam: semper præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduce ad te dilectum tuum.

4. Oportet autem, ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam.

Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia.

Cave a multiloquio, mane in secreto, & fruire Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

Ego sum, cui te totum dare debes: ita ut jam ultra non in te, sed in me absque omni sollicitudine vivas.